

B
R3132a


LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGVLIANI DI GVALDANA
LAZELADA DI BEREGVARDO
PURCHASED 1921

IN FUNERE

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

D. D.

ANTONII REDETTI

EPISCOPI BERGOMENSIS

C O M I T I S &c.

O R A T I O

HABITA IN ÆDE CATHEDRALI

IDIB. MAJ. ANNO CIↃIↃCCLXXIII.



B E R G O M I,

* ~ * ~ * ~ * ~ * ~ * ~ * ~ *

Ex Typographia FRANCISCI LOCATELLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. D. JOSEPHO PUTEOBONELLO

S. R. E. CARDINALI

ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPO &c. &c.

ANTONIUS DE AMBIVERE COM. CAN.
F. P.



N parentalibus a noſtro Collegio ſolutis Antiſtiti benemerentiſſimo, & ſumma tibi neceſſitudine conjuncto ANTONIO REDETTI, *impoſitum mihi dicendi onus libens, & mœrens ſuſcepi: ob communem enim noſtrum caſum magno conficiebar mœrore; & perſpicuum in tanti viri memoriam pietatis*

ac honoris argumentum palam & ante oculos omnium ponere exoptabam. Sed quantum pro temporis animique angustiis ingenii & artis attulerim, nescio: obtinuisse tamen opinor, ut aliquam optimi Episcopi imaginem latinis coloribus adumbrarim. Hoc itaque, Eminentissime Princeps, qualecumque sit, tenuis ingenii mei opusculum ad Te advenit, ut summæ erga Te meæ observantiæ ac reverentiæ aliquod extet monimentum; idque pro tua in omnes suavissima indole, singularique in me tua tum Romæ, tum Mediolani perspectissima benignitate, humanissime excepturum, magnopere confido. Ita felicissimis tuis auspiciis, glorioso tuo nomine, tuaque gravissima auctoritate fulta & decorata oratio publicæ lucis periculum animose subibit. Cum vero pares pro tanta tua bonitate atque clementia gratias agere haud valeam; immortalem Deum obsecrare obtestarique pergam, ut Te, in quo omnium virtutum, operumque excellentissimorum laus omnino insidet, religionis præsidio, rei christianæ incremento, bonorum & studiosorum hominum felicitati ac patrocinio, beatum & incolumem quam diutissime servet.

Bergomi XII. Kal. Quint.
An. CIↃIↃCCLXXIII.

ORA-



O R A T I O.



O Inania noſtra vota! o fallaces ſpes noſtras! præſtantiſſimo Urbis Præfecto, civitate univerſa, frequentiſſimo populo, ante auguſtum Agni immaculati thronum, humiles ſupplicesſque obſecrationes lacrymis intermixtas, ſolventibus, tunc magna nos ſpes tenebat, ut paululum adhuc & nobis, & bono noſtro publico Præſul noſter ſoſpes & incolumis ab omnipotenti Deo ſervaretur. O fallaces ſpes noſtras! Funebris iſte apparatus, lugubris cantus, mœrentis populi fletus, cæteraque funebria omnia,

proh dolor! nobis ſatis oſtendunt, Antonium Redetti amantiſſimum, juſtiſſimum, piiſſimum vita deceſſiſſe. Eheu! qualem & quantum Præſulem amiſimus! Amiſimus, ſpectatiſſimi Viri, ſapientiſſimum ordinis noſtri Antiſtitem. Amiſiſtis, ornatiſſimi cives, patriæ veſtræ decus maximum & ornamentum. Amiſit Diœceſis noſtra pervigilem ac munificum Paſtorem, fortem acerrimumque chriſtianæ diſciplinæ vindicem, cuſtodem, judicem; boni, ſtudioſi, egentes, Patronum, Præſidem, Parentem amiſere. In tanto omnium ordinum luctu, ego, qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, quibuſnam eloquentiæ ſubſidiis utar, quave verborum lenitate commune hoc noſtrum vulnus permulceam? Libentius profecto, Auditores, veſtro in conſpectu tacerem lugens: ſed ad hæc funerum juſta & ſolemnia cum triſtes conveneritis, Pontifici noſtro benevolentiſſimo poſtremis hiſce obſervantiæ ac pietatis officiis parentaturi, quoddam veluti mœſtitiæ veſtræ ſolatium a me expoſcentes; dicturus accedo. Ad levandum enim aliqua ex parte afflicti animi veſtri angorem, nihil oppor-

portunius mihi videtur, quam tanti Viri res præclare geſtas, virtuteſque egregias, quibus pleniſſimum ſuæ vitæ curriculum ornavit complevitque, ea qua potero brevitate, diſtincte tamen atque aperte vobis exponere. At de quibuſnam virtutibus, Auditores humaniſſimi, me nunc loquuturum exiſtimatis? De iis ne, quæ vel anguſtis quibuſdam finibus ſunt circumſcriptæ, vel ſua ſunt mediocritate contentæ? De iis ampliſſimis immo fert animus dicere, quæ propria fulgentes luce in ſui admirationem vel invitos rapiant ſpectatores: Illis namque Antonius Redetti inſtructus fuit atque ornatus virtutibus, quæ optimum præclariſſimumque faciunt Epiſcopum. Id Ego cum multis, neque fucatis, ſed certis ac gravibus oſtendero argumentis; vos Præſulis noſtri merita eximia percipientes, jacentem animum parumper erigetis, & vobiſcum taciti ampliori celebrabitis laude.

Inclyta & ſublimis *Epiſcopi dignitas* tantam Martyri Ignatio admirationem movit, ut (*a*) *omni principatui poteſtatique ſuperemінere, & imitatorem eſſe Chriſti veri Dei, prin-*

 cipem

(*a*) M. Ignatius in Epiſt. ad Smyrnenſes.

cipem Sacerdotum, *imaginem Dei referentem*, affirmare non dubitaverit. *De Episcopo* vero Nazianzenus & Basilius verba facientes (*b*) *Angelum Dei*, *illustrem animarum custodem*, *candelabrum in Ecclesia Christi*, *magni Dei figmentum in manibus suis portantem*, *Deum hominibus conciliantem*, *columnam & firmamentum in domo Dei*, *terrorem hæreticorum*, *patriarum legum custodem*, *omnis novitatis hostem*, *sacri concilii apicem*, *& immortalis vitæ doctorem*, copiose sapienterque eum esse docuerunt Hujus tamen celsissimæ dignitatis *desiderium boni operis desiderium* (*c*) dicit Apostolus; sed tot tantaque requiruntur merita, & animi ornamenta, ut non mediocris neque vulgaris virtus tanto oneri sustinendo omnino par sit. Cum enim *Spiritus Sanctus Episcopos posuerit* (*d*) *regere Ecclesiam Dei*, *eos* (*e*) *salis lucisque* nomine scimus etiam esse appellatos. Quid enim sale aptius, quo omnis condiatur cibus, omniaque a corruptione serventur? Verum quomodo Ecclesiæ, & cœlestium ciborum, quibus ad sempiternam alimur vitam, Episcopum dixerimus condimentum, si excellentioribus virtutibus destitutus

tus

(*b*) Nazianz. in Apol. 1. & Orat. de Laud. Athan. & in Fun. par., & in Exhor. ad Episc., & Bas. in Ep. LXI.

(*c*) Ap. Tim. I III. I. (*d*) Act. Ap. XX. XXVIII.

(*e*) Matth. V. XIII. & XIV.

tus ſit, & quodammodo infatuatus? Quid porro luce pulchrius & delectabilius, per quam pro corporum natura, partiumque vel tenuiſſimarum ſuperficie & diſpoſitione, terrarum univerſa colorem ducunt, illuminantur, diſtinguuntur? Quodnam vero in Epiſcopo lumen reluxerit, quibuſnam ſalutaris luminis radiis commiſſam ſibi colluſtrarit Eccleſiam, ſi præſtantiorum virtutum propitia careat luce? Cum igitur ſal & lux ſit Epiſcopus, & ab ipſo populi ſint exemplo perficiendi, ſuavi virtutis ſapore condiendi, divinaque illuſtrandi ſcientia; non ſolum a mortifera vitiorum labe, & ab omni haud rectæ vitæ ſuſpicione eum vacare, conſentaneum eſt; ſed etiam, ut aſſerit Nazianzenus, (*f*) alios *omnibus antecedat virtutibus*, egregiæque doctrinæ facem præferat emicantem, oportet. *Omnes enim virtutes*, teſte Hieronymo, (*g*) *ſibi adeo cohærent*, & arctiſſimis colligantur vinculis, *ut qui una caruerit, omnibus ſane careat*; ſummaque earum eſt laus, cum ad vitæ integritatem atque innocentiam, exemplo cæteris, ſibi ornamento univerſæ referantur. Quæ cum ita

(*f*) Nazianz. in Apolog. I.
(*g*) Hier. in Epiſt.

ita ſint, quis veſtrum non videat, Auditores, qualis in Antonio requirebatur virtutum ſplendor & copia, ut altiſſimæ dignitatis ſuæ munus vel angelicis humeris formidandum, optime ſuſtineret? Quarumnam in te, clariſſime Antoni, maximarum virtutum laus ineſſe, aut ſplendeſcere viſa non eſt? Tu a divina providentia Epiſcopus es jam æternis deſignatus conſiliis, tu indole tam præclara, tu tanta ingenii docilitate refulges, ut vel ab incunabulis ad regendam, ornandamque Dei Eccleſiam jampridem conſtitutus videaris. Sed longius reſpicite, Auditores, & per ſingula noſtri Redetti tempora diſcurrentes, quas vos non vidiſtis virtutes, cum illis, quarum fructum lucemque percepiſtis, comparate. Puerum videte in florenti fortuna a clariſſima Veneta patricia gente Rhodigii natum, a puerilibus, quas ætas fert, ineptiis nugiſque quodammodo abhorrentem, ingratum pueris ſilentium amare; atque in templis pio libentique animo immorantem, pueriles mores ad ingenuam modeſtiam pietatemque componere. Pueritia vix dum egreſſum Patavii ſpectate; ea ætate eſt, cujus

& mul-

& multæ ſunt, & blandæ voluptatum vitiorumque illecebræ; in ea eſt urbe, in qua ob multam juvenum copiam eo undique ſtudiorum cauſa confluentem, plurima ſunt incautis adoleſcentibus propoſita licentiæ pericula: ipſe tamen, mirum! flexibili nihil concedit ætati, voluptati, licentiæ nihil; ſed firmiſſimo ſolitudinis ſe muniens præſidio, utilioribus literis, ac veræ religionis officiis tempus omne, alter veluti in templo Samuel, ſolerter aſſidueque inſumit. Comperta enim divini Numinis ad majora eum vocantis voluntate, laicorum hominum cœtus & lubrica nimium remiſſæ juventutis ſtudia curaſque devitat. Quæ illi voluptas ſanctam cum religioſis viris inire ſocietatem, & cum iis de optimarum artium ſtudiis, ac de cœleſtium rerum diſciplina agere! Quæ illi voluptas non ſolum dulciſſima conſuetudine, ſed communi etiam eorum domicilio diutiſſime potiri! Ita Apoſtoli (*b*) præceptum & tenuit diligenter, & ſtudioſo animo eſt executus: *nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Age nunc terreſtris & jacens

(*b*) Apoſt. Timoth. I. IV. XII.

cens philosophia, etsi nihil te hominum generi præstabilius, te nihil ingenuo homine dignius, nihil te homini melius prædicetur; etsi vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, & laudandarum virtutum procreatrix dicaris, & quasi parens; tanta ne tibi aut virtus, aut gloria est, ut juvenum in oblectamenta proclivitate superata, juvenilem ætatem nondum præceptis satis institutam tuis, tanta inter pericula, vocesque obstrepentium vitiorum, cum gravitate, cum modestia, cum senili maturitate conjungas? Nequaquam profecto: illi ipsi disciplinæ tuæ sectatores quamvis plura de te jactitent; etsi ætatum ingeniorumque moderatricem te dictitent; sæpius aut pravitate, aut mentis cæcitate vitiis obruti factis negant, quod verbis iisque magnificis ostentant. O curvas ad terras animas, cœlestiumque rerum inanes! Divinæ id quidem opus fuit gratiæ, quæ in Antonio vacua non fuit: illa enim, quæ omnium benefactorum, beneque dictorum vere una parens est, inter temporum vitia, inter voluptatum proposita irritamenta, inter ætatis discrimina, purum, integrum reddidit & in-

& incontaminatum. Et eo ferme modo quo pluvia terris infuſa accommodatum plantis vitalem ſuppeditat humorem, quem inter anguſtos tenuiſſimoſque corticum meatus aliæ dulcem efficiunt, aliæ amarum, ac perpetuo temperant motu; neceſſarias Pontificali muneri virtutes plena manu elargita eſt, in corde bono, & non ficto prima etiam ætate uberes edidit fructus. Nam liberalibus imbutus diſciplinis, & doctrinæ ornatus inſignibus non ultra ſuſcipiendæ eccleſiaſticæ vitæ vocationi obſiſtendum ratus, honorum auguſtæ patriæ ſpe omnino deſpecta, per inferiores gradus ad Sacerdotium aſcendit. *Novum* exinde *hominem* (*i*) *novumque in Chriſto ſpiritum induiſſe* viſus eſt: & divinam tunc ſacerdotii dignitatem omnibus excolendam fulciendamque arbitratus virtutibus, ad ſanctiorem vivendi rationem, meritorumque incrementum ſedulam operam navat. Quanta cumprimis cœleſtium rerum contemplatio? Quanta terrenarum contemptio? De altiſſimis meditari myſteriis, caduca omnia deſpicere in amore atque deliciis fuit. Hinc religionis cultus perdiligens, ſollicitum liturgicarum rerum ſtudium

---

(*i*) Apoſt. Epheſ. IV. XXIV.

dium, ac ejus, quæ ad mores pertinet, difficilis ſcientiæ in eccleſiaſticis, ut ajunt, congregationibus & academiis comparatio aſſidua. *Bonus Chriſti odor* (*k*) effectus fallaces lutulentaſque mundi pompas libero quodammodo proterit pede; neque affluentibus divitiis, neque nominis amplitudine immoratur; ſed quo majori ad cœleſtia fertur ardore, eo magis terrena omnia faſtidit; non ſecus ac rivus, qui florentes hinc inde ac peramœnas dedignatus ripas, tumidus præterfluit, & ad mare, unde, Salomone teſte, (*l*) ortum habuit, continuo & imperturbato approperat curſu. Ea tandem tempora advenere, Auditores, quibus munifica Dei liberalitate, felicitas noſtra compleretur. Abdicata enim ab ampliſſimo Viro Cardinali Portia Bergomenſi Eccleſia, atque omnium noſtræ patriæ ordinum exultatione, ejus in locum Antonius Redetti ſuffectus, Epiſcopus Romæ inungitur, & ſacra manuum impoſitione ſuſcepta, ad deſponſatam ſibi accedit Eccleſiam. O beatam Eccleſiam! o patriam fortunatam! Quænam Bergomenſi Diœceſi floreņtiſſima ætas affulſit, qua ſacra omnia curata

---

(k) Apoſt. Corinth. II. II. XV.
(*l*) Eccleſ. I. VII.

rata fuerint attentius, qua pietas melius cum doctrina consenserit, qua morum gravitas & honestas elegantius emicuerint? Hic quo propius ad Deum dignitate accessit, eo intensiori virtutum exercitio eidem studuit placere: & *dignitatis* (*m*) *cum consideraret fastigium*, *jacentis deorsum abyssi faciem intuebatur*, *honoris celsitudinem cum attenderet*, *juxta periculum reformidabat*, *gradum cum consideraret*, *casum verebatur*. Quamobrem virtutes, quas acervatim congessimus, privatam inter vitam altæ atque educatæ in publicum Pontificatus lumen provectæ splendidissimæ coruscarunt; & quæ meritorum jacta fuerant fundamenta, in perfectam absolutamque corporis Christi ædificationem increvere. Ejusmodi igitur ex eo tempore vitam ab eo institutam vidimus, quæ dignitati quæ honori, quæ oneri, quæ labori penitus responderet; & qui lucem gregi pastumque præstiturus accesserat, tot subditis se vivere, quot præerat, cognoscens, earum est virtutum laudem adeptus, quas cum in gravissima suscepta provincia exerceret, oves intentæ pastoris vestigia persequerentur. *Oratio* maxima virtutum est; & ut cum Chrysostomo loquar (*n*) *cæte-*

(*m*) Bernar. ad Eug. Episc. CXXXVII.
(*n*) Chrysost. Hom. XXVI. in Act. Ap.

cæterarum omnium fons & origo, quæ hominem Deo arctissime conjungit, ad majorem excitat vitæ perfectionem, & in adversis, in dubiis, in arduis negotiis paratius, tutius præbet consilium ac perfugium. Tantum Antonius orationis studium arripuit, ut eam inter quotidiana etiam pastoralis muneris laboriosa officia diligentiori cura, quam jam ante instituerat, ad plures horas protractam extenderit, auxerit. *In cubiculo, & clauso ostio,* (*o*) *Patrem cum oraret in abscondito*, solum deprehendimus, & cum familia plus fletu, quam afflatu preces effundentem, atque in cœlestibus animo adeo defixum, ut vel familiaribus ipsis hospes plerumque in terris ab se & mundo alienatus videretur: præclarumque ejus ex ore Apostoli monitum persæpe audivimus: (*p*) fratres orate, *sine intermissione orate*. Ex oratione quam pura emanavit religio! Rem divinam incredibili exteriori modestia, animique admirabili attentione quotidie facit: ad eam, & ad omnia sacra peraganda mysteria, prece se comparat prolixa. Quisnam rituum & cæremoniarum observantior? quæ gravitas! quæ maje-

(*o*) Matth. VI. VI.
(*p*) Apost. Thessal. I. V. XVII.

majeſtas! Ad pietatem, ad fidem, ad ſummi Numinis reverentiam ipſius corporis compoſitione excitat intuentes; & alter veluti Moyſes ex congreſſu ſermonis Dei, quamquam cœleſtis Numinis aliorum oculis (*q*) radios non exhibeat, fidei tamen ac religionis ſplendore præfulget. Cæteræ vero virtutes tanta in religione poſſunt ne deſiderari? ex ea emergant, oportet. Quam, jubente Apoſtolo, (*r*) in domo ſua inſtituenda moderationem non oſtendit? *Eam ne* (*ſ*) *decet ſanctitudo, decet honeſtas?* ita domum ſuam, familiamque compoſuit, ut in alios, qui foris ſunt, ſanctioris veluti diſciplinæ inde exempla manarent. Vidiſtis domus univerſæ apparatus inutili pompa carentes; in veſtibus munditiam vidiſtis neque odioſam, neque nimis exquiſitam; vidiſtis in ſupellectili mediocritatem recte ſervatam, nec quidquam pretioſum, quod Chriſti ſectatorem dedeceret; vidiſtis tenuem & frugalem menſam vulgari modo paratam atque inſtructam; vidiſtis familiares & ſervos ad humanæ vitæ ſubſidium & dignitatis ornamentum neceſſarios, probitate potius quam pompa ſpectan-

 dos,

(*q*) Exod. XXXIV. XXX.
(*r*) Timoth. I. III. IV. &Corinth. I. XIV. XL.
(*ſ*) Bernar. Lib. IV. de Conſ. ad Eug.

dos, atque ita ordinatos inſtitutoſque, ut religioſorum hominum cœtus propemodum eſſe viderentur. Parem etiam exteriori interiorem adhibuit moderationem; quamvis enim irreprehenſibilis vitæ innocentia, optimique paſtoris vigilantia, exemplo & admiratione omnibus eſſet, laudes tamen plauſuſque defugiens, ſibi uni veluti iners & ineptus nunquam placuit: atque illam, quam ab honoribus & divitiis proficiſcentem, ignarum vulgus magnam in terris exiſtimat felicitatem, tantum a ſe propulſare ſtuduit, quantum ambitioſus hominum quiſque avide eam apprehendere conatur. Hinc quam mira manſuetudo! cum ſubitis ejus natura obnoxia concitationibus eſſet, inſurgentes animi motus inſigni virtutis contentione compreſſit; & adverſarios infeſtoſque homines, a quibus interdum conflictatus moleſtiis, injuriiſque laceſſitus, amplectitur humaniſſime, ac ſuo ære ſuſtentat. Hinc humanarum actionum moderatrix prudentia fuit pontificali ejus munere plane digna. Hinc juſtitia virtutum omnium domina & regina clariſſimum aſſequuta eſt ſplendorem; tenacemque boni propoſiti

positi virum nullus favor, nulla gratia, nulla humana auctoritas, nulla denique officia potuerunt a recta sententia dimovere. Omitto hic, ne meus ad multum diem producatur sermo, animi constantiam & fortitudinem: quam enim constanter sanctas leges custodiverit, quam fortiter sua jura pro justitia defenderit, vos ipsi scitis. Illam silentio prætereo patientiam, qua divinæ adhærens voluntati, tot morbos diuturnitate & acerbitate gravissimos toleravit: vos enim, qui ejus necessitudinem ac familiaritatem coluistis, locupletissimos habeo testes. Illa modo a me enarrari exposcit singularis in pauperes beneficentia *& misericordia*, quæ, teste Chrysostomo (*t*) *salutis præsidium est, ac fidei ornamentum, quæ justos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat. Quasi* (*u*) *omnium pater ipse vivebat omnibus, deerat nemini, expanso omnibus gremio pietatis, de quacumque tribulatione clamaretur ad eum, propriam reputabat.* Quos inopes non complectitur? quos mendicos mirifica cordis amplitudine non suscipit ac recreat? Egentibus omnibus, verecundis, advenis, indigenis, peregrinis pro-

---

(*t*) Chrysost. sup. Matth.
(*u*) Bernar. Serm. II. de S. Malach.

priæ domus fores, ipſo jubente, jugiter patent. Familias omni deſtitutas fortuna apud ſe fidelibus commentariis recenſitas habet, quarum indigentiam occultis ſublevare ſubſidiis, aliis cibaria veſteſque, his ſtatutam pecuniam, pluribus omnia ad honorem, ad honeſtatem, ad bonum nomen tuendum neceſſaria ſubminiſtrat. Tanta præterea Pontificis noſtri fuit erga pauperes liberalitas ac munificentia, ut non ſolum tamquam bonorum Eccleſiæ diſpenſator, non dominus, maximam reddituum partem in eos ſingulis annis erogaret; ſed etiam hæredes ex aſſe tabulis inſtituerit extremis. Ad ſe meam orationem rapit ingens illa, qua ſemper erga ſuum gregem efferbuit, ſollicitudo. Tuæ, optime Paſtor, induſtriæ in agendo, tuo conſilio in providendo, tuæ in conficiendo animi firmitati, earum, quas modo videmus in tuo grege, virtutum fertilitatem ubertatemque debemus. *Sollicitudinem* definit Angelicus (*x*) *adhibitum ſtudium ad aliquid conſequendum*: quem veſtrum latet, Auditores, ubi de populi ſibi concrediti ſalute ageretur, quantum diu noctuque, & opera & verbo ad æ-

ternam

(*x*) Thom. II. II. LV. A. VI.

ternam omnium felicitatem elaborarit? Sanæ doctrinæ propugnator & vindex hæretica pravitate corruptos ad catholicam fidem adduxit: idque maxime enituit in viro illo Borusſo (*y*) ampliſſimo loco nato, quem, ne ultra ſeduceretur, domi ſuæ excepit, in catholicam communionem paternis cohortationibus, firmiſſimis argumentis, ſumma omnium lætitia rite ſolemniterque adſcivit; atque, ut quam fieri poſſet, honeſtiſſime viveret, de ſuo rerum omnium copiam ſuppeditavit. Alios præterea contradicentes arguit, infirmos alios in fide corroborat, & ſe ipſum virtutum omnium præſidio ad fidei chriſtianæque diſciplinæ tutelam firmiſſime præmunit. Alterum veluti Moyſem iterum conſpicite, tabernaculum crebro intrantem (*z*), inde exeuntem, ut a Deo diſcat intus, quod populum foris edoceat. Quoties enim in hoc templo privatoque ſacello, aliiſque ſacris ædibus concionantem non audiſtis? Hoc ipſo fortaſſe, quo loquor, momento, ejus monitis præceptiſque veſtræ adhuc aures pateſcere videntur, quibus tum Dei cultum & eccleſiaſticis legibus obedientiam, tum ſuperioribus obſequium & domeſticis curam,

 tum

(*y*) Joan. L. B. Bandel. VVoibmendorff. An. MDCCXXXVII.

(*z*) Levit.

tum inimicis gratiam & miseris opem, sinceram denique omnibus ex corde dilectionem Patrum doctrina, evangeliique veritate vobis nunquam destitit inculcare. Quemnam vero in Pontificio munere adimplendo non subivit laborem? quænam opera quamvis gravia & formidanda sibi non imposuit? quænam propriæ dignitatis ministeria perpetua licet & perquam difficilia recusavit? Quis tandem optimi Præsulis nostri sollicitudinem laudare pro dignitate satis commode possit? Nihil profecto inexcogitatum omisit, nihil intentatum, quod vel ad christianam disciplinam reducere, vel in ea Vos retinere posset. Enimvero cum *Episcopus* sit, ut ait Augustinus, (*a*) *populorum observator, custos & præfectus; speculetur, & subditorum mores vitamque prospiciat, necesse est*. Etenim ejus oculi magnam vim habent, ut in domo Dei incolumia sint omnia & salva. Re tanta a vigilantissimo Antistite cognita atque perspecta, incredibile est, quanta animi fortitudine, quanto mentis ardore perarduum hoc opus curaverit atque confecerit. Jam privatis publicisque auspicatus precationibus urbis & Diœcesis lustrationem orditur: jam in Urbe ac subur-

---

(*a*) August. de Civ. Dei C. IX.

ſuburbiis, qua late patent, omnes rite inviſit Eccleſias. Cum plerique vitiati homines liberiorem quam agunt vitam, depravatis interdum eccleſiaſticorum moribus obtegere ſoleant; in ſacros miniſtros præſertim inquirit. Utrum ne a ſanctis legibus, a provincialibus ſtatutis, a ſynodalibus decretis diſcedant, quam ſolertiſſime explorat. Tepentes inflammat, ad rectam viam reducit errantes, ad ſacrorum frequentiam, populique ſalutem accendit: ſi quæ in eos culpæ irrepſerunt, humaniſſime emendat, ac expertus veluti medicus non acriora primum, ſed leniora pro morbi acerbitate magis opportuna admovet remedia. Alia eccleſiaſticæ diſciplinæ capita reſtituit, alia ſervanda proponit, omniaque percommodis ſanctionibus pro rerum temporumque conditione ac varietate præſcribit. His igitur in urbe ſuburbiiſque optime abſolutis, ad reliquas viſendas diœceſis Eccleſias admirabili properat celeritate. Vos teſtes appello, qui præſuli noſtro comites in tanto ac tam difficili negotio fuiſtis. Sed quid? pro omni laude res ipſa loquitur. Bergomenſis noſtra Diœceſis admodum vaſta eſt, ipſiuſque tres partes prærupti occupant montes, &

quibuſdam locis aſpera adeo eſt & anguſta, ut commeare multum laboris ac periculi ſit. Reſtitit ne bruma aut æſtu deterritus, vel periculo permotus, gregis ſui amantiſſimus Paſtor? Natura etſi eſſet ac valetudine imbecillus; unius pagi viſitatione peracta, continuo ad alium iter accelerat. Fatigatus, viribus fractus vix ſibi quietis momentum relinquens, ſacram adit ædem; ad convenientem populum ſermonem habet. Pravas objurgat conſuetudines, & faciles labendi cauſas; procaces amores, compotationes, diſcordias, peſſimam obtrectandi blaſphemandique licentiam, omnia denique flagitia & ſcandala redarguit, accuſat, inſectatur. De fidei elementis rudes interrogare, patienter audire & docere, filios parentibus orbatos, viduas, ægrotantes, pauperes inquirere, iiſque munificentiſſime opitulari, inquinatos homines pœnitentia expiare, cœleſtem cibum populo miniſtrare, ſacroque confirmandos inungere chriſmate, præcipua cura eſt & cogitatio. Quam inter diſſidentes pacem non conciliat? Quo animo contumaces non increpat? Quot perditos homines ad rectæ honeſtæque vitæ rationem capeſſen-

pessendam suavissimis etiam non incitat verbis? Solers veluti agricola, qui felices non solum colit arbores, sed illis etiam, quas aliquod infecit vitium, adminicula, quibus regantur, addit; alias, ne ramorum luxurie premantur, circumcidit, quasdam vero loci vitio exarescentes nutrit, quibusdam incommoda laborantibus umbra aperit cœlum, plures inutiles sylvestresque propagine ditat feliciori, omnibus pastorem, parentem, medicum, patronum, amicum, omnibus omnia factus, auxilio, subsidio, præsidio se exhibet atque demonstrat. Dies me deficeret, Auditores ornatissimi, si in grege visendo admirabilia omnia ab eo peracta in medium proferre vellem. Quemadmodum fructuum copia & suavitate arborum felicitas ubertasque declaratur; ita rebus omnibus tam præclare gestis optimus dignoscitur cultor animarum. Istarum tamen periculum dies noctesque cum vereretur; mirum, quam validis custodiis, quam firmis præsidiis, earumdem salutem constanter sapienterque muniverit! Egregios viros accersit in curarum suarum vicariam procurationem, prudentia, scientia, gravitate præstantes. A-

grico-

gricolas vineæ Domini tamquam providus paterfamilias integerrimos eligit, & adeo consultus, ut neminem nisi digniorem deligere consuescat, quemque morum integritate & sana doctrina constet prælucere.

At quid de cæteris sacerdotibus dicam? hos a comessationibus, a ludis, a venationibus, a spectaculis, iisque omnibus, quæ mundi licentiam olerent, voluit abstinere: & sicuti dignitate laicis præcellunt, ita honestate sanctarumque virtutum nitore illis antecellere, constantissime voluit. Quemadmodum, teste Chrysostomo (*b*) *accersitus ab ægroto medicus primum vitia stomachi perdiligenter exquirit, eumque componere festinat, quia si stomachus sanus est, firmam inde corporis habitudinem existimat; ita si sacerdotium integrum fuerit, tota floret Ecclesia*. Huc referebantur Antonii consilia, huc ejus studia præsertim spectabant. Cumque initia profectusque virtutum a prima educatione pendere, ac idoneos Ecclesiæ ministros non nisi ex optime institutis adolescentibus fieri posse cognosceret; in id omnem contulit curam, ut addicti Ecclesiæ juvenes literis ac pietate, majori qua fieri posset

(*b*) Chrysost. in Matth. XXI. Hom. XXXVIII.

ſet diligentia, informarentur. In ſuo Seminario, quod ſemper in deliciis habuit, probatos tantum excepit, exceptoſque, ut meliores fierent, præceptoribus probitate ac doctrina electiſſimis tradidit inſtituendos. Qua non exploravit induſtria eorum mores, indolem atque profectum? Quibus artibus eorum non excitavit ſtudia? Qua ſolertia non inveſtigavit, utrum ordinibus initiandi cæco ineuntis ætatis impetu, ac honoris commodive gratia, an vero divino afflatu Eccleſiaſticæ militiæ nomina darent? *Nemini cito*, prohibente Apoſtolo, *manum impoſuit* (*c*): nemo unquam ex candidatis in ſacrorum ordinum petitione eum ambire potuit. Dic ſodes, qui hic ades, adoleſcens, potuiſtine unquam tuum Præſulem circumíre? alienas immo commendationes tuæ petitioni impedimento magis qnam ſubſidio fuiſſe, cognoviſti; attentiſſimus enim in id perpetuo vigilavit, ne inſidiis vel arte, aut dolo caperetur. Cum vero nihil ſit, quod magis ad pietatem laicos impellat, quam eorum exempla, qui divino miniſterio ſe dedicarunt; neminem, qui chriſtianas virtutes non redoleret, rectæque vitæ normam haud præferret, ad divinam ſa-

(*c*) Apoſt. Timoth. I. V. XXII.

ſacerdotii dignitatem admiſit, nedum eſt paſſus ad ſancta accedere miniſteria. Verum, Auditores, ſatis ne habuit præſtantiſſimus Pontifex tanta cum utilitate Diœceſim luſtraſſe, ſubditorum licentiam coercuiſſe, clerumque compoſuiſſe univerſum? Ad ſacras Virgines etiam, illuſtrem ſui gregis partem, curas animumque convertit. Iis graves probatæque virtutis viros præfecit, ad regularem diſciplinam, ad propria cujuſque officia omnino conformavit, ad mutuam charitatem, & amorem Sponſi Jeſu vehementer accendit. Animo dejectas erexit, excitavit remiſſas, omnes denique ad paupertatem, obedientiam, modeſtiam & ſolitudinem, cæteraſque, quæ ſacris præſertim virginibus conſentaneæ ſunt, virtutes, amantiſſimis cohortationibus inflammavit. Omnes ipſarum ædes quaſi hortum concluſum, ſuæque fidei commiſſum, interiori exteriorique cultura excoluit, cuſtodivit: alias aluit, aliarumque Sanctiſſimi Saleſii imitator fundationem promovit, adjuvit, perfecit (*d*). Quid tandem plura, Auditores? necdum Antonii opera egregia ſatis perfecta ſunt atque cumulta? quorſum ego tot hac in oratione congero laudes, cum luce clarius pateat,

---

(*d*) An, MDCCXXXVIII.

teat, eum omnium virtutum fulgore & condimento fortunatam Ecclesiam nostram illustrasse fauste, & suaviter condivisse; optimum idcirco præclarissimumque Episcopum ab omnibus esse prædicandum? Estne, quæso, in hac urbe, vel provincia locus, in quo tantarum virtutum non effulserit lumen, quique perpetuis non personet præconiis? Celebrantur Edicta, quæ ad universi gregis salutem alia aliis temporibus promulgavit; laudantur Decreta, quæ ad disciplinam servandam aut restituendam sancivit. In cœlum tolluntur gravissimæ illæ Pastorales litteræ singulari pietate ac virtute refertæ, quæ vel unæ Episcopatus munere optime perfunctum esse testantur. O nostra tempora memoria sempiterna plane digna; quibus celeberrimorum Præsulum eximia opera reddita & expressa non solum vidimus, sed summo etiam nostro bono potuimus experiri! Vos vos Antistites beatissimi, qui pervetustam hanc rexistis Ecclesiam, huc adeste, & vestra hoc in loco primum impressa gloriosa vestigia, contueminor, quo modo Antonius sit nostra ætate persecutus. Sed quidnam, Auditores? dum amplissimi Pontificis nostri admiramur virtutes; mors ejus luctuosa, in cujus squalore ac

mœro-

mœrore verſamur, ex animo pene exceſſit. O fluxas hominum ſpes! o infelicem illum diem! o miſeram conditionem noſtram! In hac uberrima meritorum ſegete, in hac ſpatioſa virtutum emenſa via, poſt diuturnos & graves labores, ex laterum primum infirmitate, & virium defectione, magnis poſtea accedentibus febribus, ea qua ſemper in adverſis fuit, magnanima conſtantia patienter toleratis, paratus inſtructuſque, Dei ope implorata, in Sacerdotum complexu ad immortalitatem evolavit. Quantus per id temporis in civitate populoque univerſo, & quam incredibilis mœror! ſed in majori quidem nos fuimus luctu, quam ipſe in timore, cum ſe brevi migraturum cognoſcens, ſuis rebus conſulens, ſeque alacri animo ad æternitatis iter rite capeſſendum comparans, proh dolor! eſt nobis ereptus. Eheu! ereptus, eſt, nobiſque tanta in ægritudine præſtantiſſimarum omnium virtutum memoriam, ſuique deſiderium reliquit. Luctus ubique ingens, inopum miſerorumque ploratus, lugubris virorum ac mulierum lamentatio, omnium ordinum ætatumque ſubita commotio. Multitudo frequentiſſima ad

Pon-

Pontificias convolat ædes, cariſſimi Parentis faciem extremo viſura: ipſius deſiderium lacrymis gemituque teſtatur, & graviſſimi infortunii acerbitatem, ac nunquam intermoriturum dolorem, miſeranda ſignificatione declarat. Cecidit, ah! cecidit, alternantibus hinc illinc, preſſis ac flebilibus vocibus referunt omnes, cecidit fortiſſimum Religionis columen, occidit clariſſimum Eccleſiaſticæ dignitatis lumen, communique mortalium fato ceſſit optimus patriæ noſtræ Epiſcopus, indigentiæ ſubſidium, pietatis & ſtudiorum patrocinium, virtuti adjumentum, omnium noſtrum amantiſſimus Pater. O me miſerum, cui hæc triſtia commemorare neceſſe eſt. Vos ſpectatiſſimi Collegæ, qui hæc juſta perſolvitis, vos Auditores ornatiſſimi, qui ſupremis hiſce parentalibus adeſtis, jure ac merito jacetis afflicti. Sed a mœſtitia parumper recreamini; benemerentiſſimus enim noſter Præſul, qui ſanctiſſime vivens quadraginta & tres annos hanc gubernavit Eccleſiam, ut ſperare par eſt, in beatis cœli ſedibus æternum vivit, atque eadem adhuc urbis & provinciæ noſtræ apud omnipotentem Deum nobis conjungi-

jungitur cura ac cogitatione: ac ne tot vigiliis laboribusque exculta Ecclesia Pastore, qui sibimet similis sit, destituatur; felicibus precibus exorat. Vos igitur tot virtutum memores & beneficiorum, optimi nostri Episcopi memoriam grato animo prosequimini, eumque, cujus inclyta admirati estis merita, vehementer adhortor, ut veluti exemplar, quod constanter imitemini, vobismetipsis pro ponatis.

F I N I S.



